



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Amico Poëtæ, ut susceptum narrandi res à Gallis præclarè gestas
consilium exequatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

luminas; neque peccare quidquam gravius tuam in salutem potes, quin eodem tempore in commune bonum pecces. Vale ergo & vive, si nos vivere & valere volueris.

A M I C O P O E T Æ,

Ut susceptum narrandi res à Gallis præclare posteriore bello gestas consilium exequatur.

Ad Hortandum.

Optimè facis, quòd res à Gallis posteriore bello gestas paras scribere. Nam quæ tam recens, tam copiosa, tam ampla, quæ denique tam poëtica, & quanquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, occupata castris montiù abrupta, expugnatas arces, subactas provincias, & quæ naturâ, ut vinci possent, non habebant, collectas totius Europæ vires ab unâ gente superatas. Una sed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo oporteat; arduum quiddam, immensum etiam ingenio tuo, quamvis altissimè assurgat, & amplissimis operibus increseat. Sed nihil est quod arte, studio, labore vinci demum non possit. Proinde jure vatium, invocatis Dijs, & inter Deos, ipso, cujus res, opera, consilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac, si quando aliàs, toto ingenio vehere. Cur enim non ego poëticè cum Poëta? Illud jam nunc paciscor: prima quæque, ut absolveris, mitte; imò antequam etiam absolvas,

solvas,

solvas, sicut erunt recentia, rudia & adhuc similia nascentibus. Equidem potero fortasse scripta tua magis probare ac laudare, quantò illa tardius cautiùsque; sed ipsum te magis amabo, magisque laudabo, quantò celerius & incautiùs miseris. Vale.

ALEXANDER

*Arimazi Petræ Gubernatori salutem, &
cautam in deliberando Prudentiam,*

Suasoria.

ADsum ante urbem tuam cum invicto exercitu, paratus eam ingredi aut victor pacificus, aut durus expugnator. Non ignoras, quales nos simus, & rerum nostrarum fama etiam rupis excelsæ, quam incolis, ad fastigium pervenit. Occupatæ urbes, domitæ provinciæ, subacti populi victorias nostras loquuntur, réque, rebus tuis ut provideas, monent. Nihil est, quod faxeæ & inaccessiblei moli confidas, aut loci naturâ fretus aliquam vincendi celeritati afferre moram speres. Habeo milites, quibus nihil est tam invivium, quod non invadant, nihil tam abruptum, quod non exsuperent, nihil tam inaccessible, quod non evolent. Quare vide, quid agas. Statue, num te juvet Alexandri probare clementiam, an hostis vindictam experiri? Responde quamprimum; moras non patior; aut portas urbis reclude, dum loquor, aut me in ipso Petræ jugo, antequam dies crastinus luceat, conspicias. Vale.

ARI-